Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 967
Quelle:
Copyright:

C. 2. *de Fortitudine*, C. 3. *De Sanitate* &c. Antiquorum Sententiae glomerantur, quod utique multae lectionis *Bartholomaeum* fuisse demonstrat. Erat is patria *Pisanus*, dictus *a S. Concordio*, defunctus a. 1347. ut pluribus T. I. *Scriptor. Ord. Praed.* p. 623. Latine prodiit hic ejus Libellus *Tarvisii* 1601. 8. prolusitque multis ejusmodi Florilegiis.

CCCCXVIII.

R. 2050 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 72. 4. min. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, nec per totum minio distinctus, et olim *Domus Porte beate Marie virginis in Axpach ord. Carthusien.* varia continet, quae explicabimus. I. membranis 4. Fragmentum *Elucidarii* olim *Anselmo Cant.* tributi, sed a *Gerberonio* in Edit. *Opp. Paris.* 1721. merito inter Subposita p. 457. relegati, cujus *Censuram* praeviam, si lubet, consule. Pertingit a *Cap.* V. *Que fuit causa ut crearetur mundus* &c. usque ad *Cap.* XIX. verba: *Contigit aliquid miri eo nascente?* non absque lectionis differentia.

II. *fol.* V. manu luculenta Sec. XIV. inserti sunt sequentes Versus:

Sed nichil (nil) *proficiens ad propria sic repedauit.*
Mille trecentenis superaddas bis quater illis (1308)
Frater gentilis minor ordine, doctor honore
Presulis a latere clementis mittitur ille.
Adde nouem super M. tria CCC. sic karulus iste (1309)
Per dictum dominum meruit portare coronam,
Quam tamen ipse sibi nouiter factam benedixit.
Annis predictis domini superadditur vnus, (1310)
Rite coronatur regis dyademate sancti.
Mille trecentenis I debes ponere denis, (1311)
Gentilis regno dominus discessit ab isto.

Hungarica sunt haec, in quae paullum commentemur. Dolendum praecedentia excidisse; interim *v.* 1. *Ottonem Bavarum* spe regni frustratum designari, nullus dubito. *Gentilis de Monte Floris Picenas Clementis* V. Legatus Cardinalis tituli S. *Martini in Montibus*, seu, ut alii, *Equitii*, vel *SS. Silvestri et Martini* est, anno uno post praeclaram operam in pacanda *Hungaria* collatam, nempe 1312. *Avenione* extinctus. *Carolum Caroli Martelli* filium puta, dictum etiam *Carolum Robertum*, quin *Charobertum* et *Rimbertum*. Hunc re ipsa nova primum Corona incinctum fuisse docent vetusti hi Versus nostri, donec sacra illa D. *Stephani* a *Ladislao Transsilvaniae* Vaivoda restitueretur, licet e Decreto ab Legato Cardinali *Budae 1309. 8. Id. Maji* publicato, et ab amicissimo mihi *Prayo*

P.